



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Manna Animæ Sev Exercitium Facile Simul Et Fructuosum Illis, Qui Quoquo Modo Vacare Orationi Desiderant**

**Segneri, Paolo**

**Dilingæ, 1699**

III. Attendi, & auscultavi. Nullus est, qui agat pœnitentiam super peccato suo dicens: quid feci? Jerem 8. 6.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48281)

## III.

*Auendi, & auscultavi. Nullus est, qui agat penitentiam super peccato suo dicens: quid feci? Jerem 8 6.*

1. Considera, sive spectes opera hominum, sive sermones audias, rarissimos inveniri penitentes. Multi sunt, qui volunt agere penitentiam, pauci, qui agant. Nunquam enim adduci possunt, ut illam agant. Ad mortem usque expectant; & tum subito se delusos agnoscunt. Equid tibi prodesse potest voluntas etiam bona, quæ ad opus non redigitur? Eorum, qui voluerunt agere penitentiam, & non egerunt, plenus est Infernus.

2. Considera, esse nonnullos, qui etiam in vita agant penitentiam. At quando? cum explevis cupiditatibus, ut ita loquar, jam habent fatiçtatem peccandi. An isti agunt penitentiam super peccato suo? Haud lanè, sed agunt super peccatis. Vix inveneris,

qui statim, ac peccaverit, illud agnoscat, illud confiteatur, illud detestetur, deploret, dicatque: *Quid feci?* De quorum numero tu es?

3. Considera, quod nemo penitentiam agat, hinc nasci, quia nemo querit: *Quid feci?* quomodo fieri posset, ut non disflueres amarissimis lacrymis, si cognosceres id, quod fecisti peccando? Tunc offendere DEUM adeo bonum? cum, qui te condidit, qui te conservavit, qui redemit? tunc accersere tibi tantum mali, ut viliissima satisfacias cupiditati? ejus gratia te privare? gloria jacturam facere? æternæ dæmonis servitutem mancipare? O quanta tibi est causa ingeminandi: *quid feci?* miserum me, *quid feci?* *quid feci?* sed tu de hoc non cogitas.

## IV.

*Facti sunt abominabiles, sicut ea, qua dilexerunt. Ol. 9. 10.*

1. Considera miram differentiam, quæ inter intellectum & voluntatem intercedit. Si contra voluntatem cogitatione aliquâ vexeris rei abominabilis sive blasphemiae, sive fraudis, iræ, lascivie, non idcirco tu sis abominabilis. Tunc solum sis abominabilis, cum amas. Causa est, quia intellectus per suos actus non egreditur extra se, sed in se recipit rerum

imagines, quæ ad ipsum transmittuntur, ita ut non possit non recipere. Potentia est, ut vocant, necessaria. Voluntas exit per suos actus ad rem amatam, ita ut in illam transformetur. En igitur fœdam metamorphosin, quæ in te accidit, si quid ames diabolicum, brutum, terrenum. Tunc enim efficeris diabolicus, brutus, terrenus.

F 2

2. Con-